



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1589. usque ad annum 1595 - Una Cum Criticis R.P.
Honorati A S. Maria Carmel. Discalc. Observationibus In Historiam
Ecclesiasticam Abbatis Fleurii

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1772

VD18 90118669

§. 55. Guilielmi Witakeri exitus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67252](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67252)

impios, Athæos, & infideles, qui li-
ber latine conscriptus est. VI. Alia
fidei defensio contra impios in quatuor
dialogis exhibita. VII. Plura opuscula
dogmatica latine scripta de invocatio-
ne sanctorum, Jubilæo, & indulgen-
tiis &c.

§. LV.

Guilielmi Witakeri exitus.

Hoc anno, ætatis vero suæ quadra-
gesimo septimo Cantabrigæ vitam
finit Guilielmus Witakerus in Comi-
tatu Lancastrænsi ex familia honesta in
prædio Holmio natus, ac magni nomi-
nis inter suos Theologus, qui juvenis
adhuc Anglicanam Liturgiam, necnon
Ivelii disputationem contra Hardingum
latine reddidit, atque Catechismum
ab Alexandro Novello Avunculo suo
compositum in Græcum idioma trans-
tulit. Postea in Græcorum, & Lati-
norum Patrum lectione assiduus tam
impigro labore studiis insudabat, ut
viribus suis penitus exhaustis totum
reliquum vitæ suæ spatium semper lan-
guesceret: præterea Ivelum Sarisbe-
riensem imitaturus, seu potius æmu-
lationis æstro percitus semper calamo
concertabat, nunc Edmundum Campia-
num Jesuitam, nunc Joannem Duræum,
ac Thomam Stapletonium celeberrim-
um

Sæcul. XVI.

A.C. 1595.

Th. 1. 113.

Sæcul. XVI. mum Angliæ dogmaticum Scriptis suis
 A.C. 1595. laceffens.

§. LVI.

Continuata Fausti Socini historia.

*Sandi. Bibl.
 Antit. p. 65.
 & seq.
 Hornbeek
 appar. ad
 controv. Soc.
 vita Faust
 Soc. aut.
 Przipeovio.*

Demum Faustus Socinus, cujus jam supra meminimus, anno Christi millesimo quingentesimo septuagesimo quarto relicta Florentiæ aula Baileam venit; tres ibidem annos commoratus: toto autem hoc temporis intervallo unice intentus erat, ut pernitiola Lælii Socinii Patruis sui scripta pervolveret, omnesque illorum impietates liberaliter imbiberet, quibus abunde saginatus eadem quoque aliis instillare satagebat: cum vero ejus Amici sat probe prospicerent, quod hac ratione in patria Calvinii opinionibus superstitione addicta funestum sibi negotium facefferet, hinc illum ab acuendo suo calamo abstertere totis viribus nitebantur: ast oleum, operamque perdidere; quippe Faustus anno millesimo quingentesimo septuagesimo octavo latinum opus *de Jesu Christo Salvatore* conscripsit, quod tamen non nisi hoc anno millesimo quingentesimo nonagesimo quinto publicam lucem aspexit, editionis curam in se suscipiente Elia Arcissevio ejus Discipulo, qui prima vice nefando huic partui nomen Fausti Socini apposuit, cum antehac
 ejus